



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiariam reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

§. 1. De Prima Tonsura, & ordinibus minoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

divina celebranda aut Sacramenta administranda admittant. sess. 23. c. 16.

V. Publicè & notoriè criminosos altari ministrare aut Sacris interesse ne permittant. sess. 22. decret. de obl. & evan. in celebr. Missæ.

VI. Privatis in domibus atque extra Ecclesiam & oratoria ab ipsis ordinariis designanda & visitanda Sacrificiis ne sinant. ibidem.

VII. Ab Ecclesiis Musica lascivas, sæculares actiones, vana atque ad eò profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant. ibidem.

VIII. Caveant, ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent; ne ritus aut ceremonias & preces ab Ecclesiis non receptas adhibeant. ibidem.

IX. Missarum & candelarum numerum, superfluum removeant. ibidem.

X. Doceant populum de sacrificii hujus fructu, & memorent, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus dominicis & majoribus Festis accedant. ibid.

XI. Hæc & quæcunque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi ut delegati Apostolici mandent, corrigant, statuant sub censuris & pœnis arbitrariis, non obstantibus privilegiis, appellationibus, & consuetudinibus quibuscunque. ibidem.

XII. Ubi tantus est Missarum numerus pro defunctis, ut illis pro singulis præscriptis diebus satis fieri nequeat, vel elemosyna pro illis nimis est tenuis, possunt Episcopi Synodo diœcesanâ: item Abbates & Generales ordinum Capitulis generalibus statuerè, quidquid viderint expedire, ita tamen, ut eorum defunctorum semper commemoratio fiat, qui legata reliquerunt. sess. 25.

## CAPUT VI.

### DE SACRAMENTO ORDINIS.

#### §. I.

De Prima Tonsura & ordinibus minoribus.

I. **P**rimâ tonsurâ non initiatur, nisi confirmatus, & crea-

rudimenta fidei, ac legere & scribere, quique hoc vitæ ge-  
neris ob divinum cultum eligant. Sess. 23. c. 4.

II. Ad minores Ordines promovendi bonum à Paro-  
cho & Magistro Scholæ, testimonium habeant, ibidem. c. 5.  
linguam latinam intelligant, & dent spem scientiæ majoris  
ibidem. c. 11.

III. Per temporum intervalla conferantur, & promovi  
sunt uno quoque tempore se in iis exercent, idque in ea, cui  
ascripsi erunt, Ecclesiâ; & non nisi post annum à susceptio-  
ne postremi Ordinis minoris ad Sacros Ordines promovean-  
tur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas iudicio Episcopi aliud  
proposcat. ibidem.

IV. Nullus primâ tonsurâ aut Minoribus initiatus ca-  
terum est beneficii ante annum 14. ætatis. ibid. c. 6.

V. Nec gaudet privilegio fori, nisi Beneficium habeat  
& habitum ac tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato  
Episcopi deserviat, vel in Seminario aut Scholis, quasi in via  
ad majores Ordines versetur. ibidem.

VI. In Clericis conjugatis servetur constitutio Bonifa-  
cii IX. quæ incipit: Clerici, qui cum unicis. ( in 6. de Cle-  
rico conjugat. )

VII. Modò alicui Ecclesiæ in habitu & tonsurâ ex de-  
terminatione Episcopi deserviant. ibidem.

§. II.

De Ordinibus Majoribus.

I. Ad singulos Majores assumendi per mensem ante or-  
dinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri com-  
mittatur, ut nominibus ac desideriis eorum in templo publice  
propositis de ipsorum Natalibus, ætate, moribus, vitâ in-  
quirat.

II. Et litteras testimoniales inquisitionem continen-  
tes ad Episcopum quàm primùm transmittat. Sess. 23. c. 5.

III. Nullus imposterum ne Regularis quidem ad Sub-  
diaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Pres-  
byteratus ante 25. ætatis annum promoveatur. ibid. Privi-  
legiis penitus exclusis. ibid. c. 12.

IV. Nullus Clericus sæcularis ad Ordines Majores pro-  
movea-